



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XLVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

epistola B. Pauli recitabatur, & sanctū Euangelium. Sepultus est .a. in cimiterio Priscillæ via Salaria, 8. Idus April. Et cessauit Episcopatus dies 20.

XLVI.

XISTVS, natione Romanus, ex patre Sixto, sedit annis 8. dieb. 19. Hic post annum vnum, & mensem 8. incriminatus est à quodam basso. Quod audiens Valentinianus Augustus iussit Synodum congregari, in qua examinatur à 46. Episcopis, & purgatur Xistus, & condemnatur Bassus, ita vt vltimo die viaticum ei non negaretur. Contra quem Valentinianus Augustus furore sancto permotus, prædia facultatum eius Ecclesiæ Catholicæ sociauit, ac post tres menses moritur. Cuius corpus Xistus Episcopus suis manibus tractans sepeliuit ad B. Petrum Apostolum in cubiculo parentum eius. Qui etiam sepultus est via Tiburtina in crypta iuxta corpus B. Laurentii. Et cessauit Episcopatus, dies 22.

XLVII.

LEO, natione Tuscus, ex patre Quintiano, sedit annis 21. mense vno, diebus 13. Hic inuenit duas hæreses, Eutychianam & Nestorianam. Pro qua remisit ad MARCIANVM Augustum, orthodoxum Principem & catholicum, vt congregaret Concilium Episcoporum. Quod statim factum est, & congregati sunt sacerdotes 256. aliorum verò Episcoporum 408. Chirographus cucurrit cum chirographo S. Episcopi Leonis, hoc est, tomo, vbi continebatur fides Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ. Sub præsentia igitur Martiani Catholici Principis factum est Concilium 630. Episcoporum in Chalcedonia, in martyrio S. Euphemie. Qui exposuere fidem Catholicam, dicentes, in vno Christo DEO & homine duas naturas esse. Vbi piissimus Augustus cum Pulcheria coniuge sua Augusta deposita regia maiestate fidem suam sub chirographo exposuerunt ante conspectum omnium Episcoporum, qui damnauerunt Eutychen & Nestorium, & expositam direxerunt ad Leonem Papam beatissimum. Hic constituit, vt monacha non acciperet velamen benedictum in capite, nisi probata in virginitate fuerit 60. annis, & vt intra actionem sacrificii diceretur. *Sanctum sacrificium, &c.* Sepultus est autem apud B. Petrum Apostolum, 3. Idus April. Et cessauit Episcopatus dies 7.

XLVIII